



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici, Miscellaneorum Observationum Libri quatuor**

**Petit, Pierre**

**Trajecti ad Rhenum, 1682**

Cap. VI. Themistii Peripatetici locus perperam acceptus ab Hermolao  
Barbaro. Anaxagoram & Empedoclem primos caussae efficientis  
mentionem fecisse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13245**

## CAPUT VI.

*Themistii Peripatetici locus perperam acceptus ab Hermolao Barbaro. Anaxagoram & Empedoclem primos causæ efficientis mentionem fecisse.*

**L**ocus est in Paraphrasi Themistii ad lib. 2. *Physicæ Auscultationis*; estque ejusmodi: Ἐπειδὴ πάντες σχεδὸν οἱ περὶ φύσεως διαλεχθέντες εἰς τὴν ἀνάγκην ἀνάγουσι τὰς αἰτίας· οὐδὲν ἄλλο τὴν ἀνάγκην, ἢ τὴν ὕλην εἶναι νομίζοντες. ἐπειδὴ γὰρ τὸ θερμὸν τοιονδί, καὶ τὸ ψυχρὸν, καὶ ἕκαστον τῶν ὑλικῶν, ὃ τίθεται ἀρχὴν ἕκαστον ἕξ ἀνάγκης τόδε ἐγένετο· καὶ γὰρ ὅσοι ποιητικῆς αἰτίας ἐμνημόνευσαν, ὅσον ἀψάμενοι χαίρειν ἑῶσι· ὡς Ἐμπεδοκλῆς καὶ Ἀναξαγόρας. Quæ sic vertit Hermolaus: Nam omnes fere, qui de natura scripserunt, causas omnes in necessitatem & materiam contulere: idem autem significari & necessitatis & materia nomine volebant. Postquam (inquiunt) calidum, frigidum, & quod quisque principium materiale statuerit, tale est, aut tale: necesse est hoc, quod ex illis principiis materialibus oritur, ita prorsus esse constitutum, ut est. Eos vero, qui causas efficientes quoquo modo attingunt, Anaxagoram & Empedoclem, & si qui alii e veteribus erant, valere sinunt cum suis inventis. In postrema, inquam, sententiæ hujus parte: hallucinatus est non parum Hermolaus, ita vertens, tanquam velit Themistius noluisse antiquos physicos, quæ de causâ efficiente Empedocles & Anaxagoras philosophati essent, sequi, sed illos eo nomine missos fecisse ac valere jussisse. Cum hoc velit; Empedoclem & Anaxagoram vidisse quidem causam efficientem, verum ea nunquam in causis rerum explicandis uti, sed contra valere



lere jubere, hoc est, negligere omnino & floccifacere. Quod hæc sit mens Themistii, ex verbis Socratis apud Platonem in Phædone intelligi potest: Ἀπὸ δὲ θαυμαστῆς, ὧ ἐταῖρ, ἐλπίδ' ὡχόμην φερόμεν', ἐπειδὴ πρῶτων καὶ ἀναγινώσκων, ὁρῶ ἄνδρα τῷ μὲν νῦν οὐδὲν χρώμενον, οὐδὲ τινὰς αἰτίας ἐπαιτιώμενον εἰς τὸ διακοσμεῖν τὰ πρῶγματα, ἀέρας δὲ καὶ αἰθέρας, καὶ ὕδατα αἰτιώμενον, καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ ἄτοπα. Ceterum ab hac, admirabili spe dejectus ferebare, o amice; si quidem procedens ultra legendo, hominem video, mente quidem nullo modo utentem, neque causas aliquas rerum compositionis atque ornatus assignantem, sed aëres ætheresque & aquas atque alia absurda multa causificantem. Sed quid Platonem adduco, cum perspicua sint Aristotelis verba lib. 2. physic. quibus respondet præsens locus Themistii. Ita enim ibi Aristoteles de Anaxagora, & Empedocle: Καὶ γὰρ καὶ ἄλλην αἰτίαν εἶπωσιν, ἴσον ἀφ' ἁμένοι χαίρειν ἑῷσιν, ὁ μὲν τὴν Φιλίαν καὶ τὸ νεῖκ', ὁ δὲ τὸν νοῦν. Etenim etiamsi aliam causam dicunt, solum tangentes valere sinunt: hic quidem litem & amicitiam, ille vero mentem.

## CAPUT VII.

*Insigne mendum ex eadem paraphrasi Themistii sublatum.*

**N**Eque istud mendum vidit Hermolaus, grave profecto, tametsi ex unius particulæ disjunctivæ transpositione: tam levibus momentis bonorum auctorum recta dicta in contrarium & absurdum sensum torquentur. Μετὰ ταῦτα σπεπλέον, πῶς ἐν τοῖς φύσει τὸ ἀναγκαῖον καὶ πότερον τὰ φύσει γινόμενα ἀπλῶς δεῖ ἀνάγκης γίνεσθαι, ὡς τὸ τέλ' ἀπλῶς